



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CLIX. De Vastatione terrae Colmensis & occisione quorundam
Fratrum & armigerorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ord. Teut.
Conradus à Tierburg IX. Magister Provinc. Prussiae.

CAP. CLVIII.

*De**Morte plurium Pruthenorum.*

NON longè postea exercitus Pruthenorum intrans terram Colmensem, ipsam incendio & rapinâ & multâ strage hominum Christianorum vexavit. Tandem venerunt ad civitatem Colmensem, ubi eis cives occurrerunt armatâ manu, & inito certamine Capitaneum ipsorum & multos alios interfecerunt, & sic redemptus fuit captus ab eis omnis populus Christianus.

CAP. CLIX.

*De**Vastatione terræ Colmensis & occisione quorundam Fratrum & armigerorum.*

POst hæc Scumandus cum Sudovitis intrans terram Colmensem, divisit exercitum suum in duas partes, quarum una processit contra Thorun, alia contra Colmensem civitatem, occidentes, capientes & comburentes, quicquid in via occurrit eis. Sed circa horam vesperarum convenerunt apud castrum Birgelavv, ibique castra metati sunt. In ipsa nocte fratres dicti castrorum cum suis armigeris exierunt, & exercitum dormientem inquietantes, occisis pluribus & lethaliter vulneratis factus fuit clamor magnus, quo audito Custodes, qui vigilias noctis servabant super dictum exercitum jam parati in armis supervenerunt, & duos Frarres cum (a) dimidio & plures armigeros occiderunt.

II 2

CAP.



Hanno de Sangerhausen VII. Magister Gen. Ord. Teut.
Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Prov. Prussia.

ANIMADVERSIO.

(a) Eodem modo legit Jeroschinus. Sic enim reddidit verba Dusburgii Germanicè:

Und irschlügen in dem Lüder
Zwen und einen Halbbruder
Unde Wapener genug.

Codex vero Thoruniensis habet: *Et duos Fratres cum aliis armigeris occiderent.* Consentit cum eo Auctor Chronicus Germanicus antiqui in Biblioth. Regiomont. qui dicit: *Zwe Bruder und XV. Wapener.* Non est tamen dubium, quin Dusburgius eo modo haec verba scripsit, ut a nobis supra sunt exhibita, cum & Jeroschinus ea retinuerit. Per dimidium autem Fratrem dubio procul intelligit Novitium, qui nondum plenè in Fratrum numerum erat receptus.

CAP. CLX.

De

Impugnatione castri Schonense & morte Divvani Capitanei Barthorum.

DEmum Dyvvanus Capitaneus Barthorum cum octingentis viris obsedit castrum Schonense, & juravit per potentiam Deorum suorum, quod nisi cito traderent castrum in manus suas, ipse tam Fratres quam armigeros suspenderet ante portam castri. In hoc castro non fuerunt nisi tres Fratres & pauci armigeri, quibus armigeris induerunt fratres pallia sua & parmas ad terrorem obsidentium, ut fratres plures apparerent. Quo facto dum ordinatis ex utraque parte, quæ ad impugnationem castorum sunt necessaria, ad impugnationem accederent, vulneratis de hostibus pluribus & occisis, frater Arnoldus (a) Crop sagittans cum balista dictum Dyvvanum per collum transfixit. Quo mortuo, alii infecto negotio recesserunt. Iste Dyvvanus bla-